



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAENEMINEM PROFECTOS. MARIAE LEUCADENSIS  
TEMPLUM ANNUNTIATIONI B.M.V.**

**DICATUM IN ALBUM BASILICARUM MINORUM REFERTUR** Neminem profecto latet a primis temporibus aetatis Nostrae amare et diligere Virginem Mariam consuesse Nos innumerorum sanctorum sectantes exempla et Christifidelium. Omnes enim optime sciunt quanta sit Ipsa praestatura beneficia et adiumenta fidelibus, qui ad Eandem filiorum more decurrunt. Hasce respicientes penitusque considerantes rationes ac ipsius templi pariter dignitatem, veluti quoque Decessorum Nostrorum sectantes vestigia, libenti quidem animo Venerabilis Fratris Marii Miglietta, Episcopi Uxentini-S. Mariae Leucadensis, precibus concedendum esse duximus, qui tum suam tum suorum fidelium ostendens mentem enixe rogavit ut Sanctuarium S. Mariae Leucadensis, Annuntiationi Beatae Mariae Virginis dicatum ad gradum Basilicae Minoris eveheretur. Itaque sententiam Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum confirmantes, Apostolica Nostra usi potentate et auctoritate, sacram aedem quam supra memoravimus ad dignitatem gradumque evehimus Basilicae Minoris, cunctis pariter concessis iuribus et privilegiis huius generis templorum propriis, servatis in primis praeceptis quae decretum «De titulo Basilicae Minoris» praescribit, die IX mensis Novembris editum, anno MCMLXXXIX, quibusvis rebus contrariis minime obsistentibus. Si quidem ista in regione Deiparae cultus vetustam repetit memoriam, vehementer exoptamus ut aucta Sanctuarii dignitate crescat quoque fidelium pietas eorundemque in caelestem Matrem dilectio, pro comperto prorsus habentes ex hac re permagna eventura beneficia spiritalemque prosperitatem. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Iunii, anno MCMXC, Pontificatus Nostri duodecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

---